

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1710

Auteur(s) : Luc, Évreux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1216, novembre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation de l'acte n° 1709 par Luc, évêque d'Évreux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LIII, p. 47-48.

Texte établi d'après a

Omnibus ad quos presentes littere pervenerint. L, Dei gratia, Ebroicensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum inter R priorem de Bellomonte et conventum ejusdem loci, ex una parte, et Robertum de Capella, presbiterum, ex alia, super pensionibus ecclesiarum Sanctorum videlicet Nicholai et Leonardi, et candelarum obventionibus, questio verteretur, partibus tandem in nos consencientibus ad totum negocium terminadum, appellatione remota, lite contestata, productis hinc inde instrumentis et diligenter inspectis, cum aptibus esset renunciatum allegationibus et conclusum utraque parte sententiam postulante ; quia manifeste cognovimus quod monasterium de Bellomonte ab antiquo percipere consueverat in ecclesia Sancti Nicholai sex librarum andegavensium per manum rectoris ejusdem ecclesie, cum candelarum obventionibus in die beati Nicholai et in Purificatione Beate Marie, de quibus sex libris idem rector in ministeria prioris solvere consueverat in ecclesia vero Sancti Leonardi sexaginta solidos Andegavenses annuatim similiter percipiebat, sicut carta bone memorie G predecessoris nostri, testabatur, que publicam ipsius R confessionem coram eodem episcopo factam continebat ; arbitrium quoque R abbatis Beccensis et J decani Rothomagensis super presenti negocio, inter priorem de Bellomonte et dictum Robertum prolatum, fidem nobis faciebat pleniorum, maxime cum idem Robertus se recepisse ejusdem arbitrii tenorem et penes se habere confiteretur, ac memoratus prior pro se et conventu, privilegium domini pape super pensionibus sibi confirmatis indultum exhiberet sicut juste et canonice possidebant. Nos, de prudentium virorum consilio, pensionem sex librarum Andegavensium in ecclesia Sancti Nicholai cum candelarum obventionibus, per manum rectoris ejusdem ecclesie annuatim solvendam, et sexaginta similiter solidos Andegavenses in ecclesia Sancti Leonardi, per manum ejusdem rectoris ecclesie, reddendos singulis annis priori de Bellomonte ac monachis et eorum monasterio per sententiam judicavimus diffinitivam, memoratum Robertum ad solvendas dictas pensiones annuatim in posterum, cum expensis in lite factis usque ad summam centum solidis, continuo condemnantes. In hujus rei testimonium huic sigillum nostrum apposuimus. Datum anno gratie M° CC° sexto decimo, mense Novembris.